

Campanam liberaliter comiterque curatus fuerat. Is tum 5  
Badius progressus ante stationes quae pro porta stabant  
uocari Crispinum iussit. Quod ubi est Crispino nuntiatum,  
ratus conloquium amicum ac familiare quaeri, manente  
memoria etiam in discidio publicorum foederum priuati  
iuris, paulum a ceteris processit. Postquam in conspectum 6  
uenere, 'Prouoco te' inquit 'ad pugnam, Crispine' Badius;  
'conscendamus equos summotisque aliis uter bello melior  
sit decernamus.' Ad ea Crispinus nec sibi nec illi ait hostes 7  
deesse in quibus uirtutem ostendant; se, etiamsi in acie  
occurserit, declinaturum, ne hospitali caede dextram uiolet;  
conuersusque abibat. Enimuero ferocius tum Campanus 8  
increpare mollitiam ignauiamque et se digna probra in in-  
sontem iacere, hospitalem hostem appellans simularemque  
parcere cui sciat parem se non esse. si parum publicis 9  
foederibus ruptis dirempta simul et priuata iura esse putet,  
Badium Campanum T. Quinctio Crispino Romano palam  
duobus exercitibus audientibus renuntiare hospitium. nihil 10  
sibi cum eo consociatum, nihil foederatum, hosti cum hoste,  
cuius patriam ac penates publicos priuatosque oppugnatum  
uenisset. si uir esset, congrederetur. Diu cunctantem Cri- 11  
spinum perpulere turmales ne impune insultare Campanum  
pateretur. Itaque tantum moratus dum imperatores consu- 12  
leret permetterentne sibi extra ordinem in prouocantem  
hostem pugnare, permisu eorum arma cepit equumque con-  
scendit et Badium nomine compellans ad pugnam euocauit.  
Nulla mora a Campano facta est; infestis equis concur- 13